

11. 16

- 16
- 1.
- 2a
2
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7a
7
- 8a
8
- 9.
- 10.
- 11



1675.

1. Boetticher, Johannes Henricus: De praesumptionibus
- 2^{te} Boetticher, Joh. Henricus: De iure sigillorum
3. Calvornius, Casparus: Contractus et promissa. Decis
quaestionum concernentium.
4. Clasenius, Daniel: De effectu rei iudicatae.
5. Clasenius, Daniel: De consuetudinibus.
6. Eisenhart, Joh: De fetorum propria facti scientia.
Oratio . . . , cum . . . profersionem juris publicam
caperent
- 7^{te} Engelbrecht, Georgius: De pluralitate votorum
2 Exempl.
- 8^{te} Engelbrecht, Georgius: De operis rusticorum . . .
9. Hempell, Petrus Christophorus: De advocatio
10. Merbonius, Henricus: De phthisi.
11. Sidensticker, Antonius: De furibus ferarum .

12. Wffelmans, Henricus : De homagio
13. Witte, Joannes Michael, von : De potestate maritali



lali



8

2341

[Faint, illegible handwriting]



7986.

34

DECAS QVÆSTIONVM 1675, 3
CONCERNENTIVM

CONTRACTVS 4

ET

PROMISSA

Q V A M

DEO OPT. MAX. ADJUVANTE
CONSENSV AMPLISSIMÆ FACUL-
TATIS PHILOSOPHICÆ

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

PRÆSIDE

M. CASPARO CALVÖRIO

HILDESIENSI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

IN NOVO PHILOSOPHORVM AVDITORIO

SUBIICIET

RESPONDENS

HENRICUS THEODORUS ULRICI

Hagâ-Wolpensis Brunsvicensis.

AD DIEM JULII

☉ (O) ☽

HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCC LXXV.

Handwritten notes:
M. Severin's et Gochens
Hr. Joh. Christoph
et Hr. Dr. Lorenz Ad. B.





V I R O

GENEROSO ET MAXIME STRENUO

DN. FRANCISCO ERNESTO
von REHDEN

SATRAPÆ WÖLPENSI SPLEN-
DIDISSIMO:

INCLYTI DVCATVS CALENBERGICI
CONSILIARIO PROVINCIALI
GRAVISSIMO &c.

HÆREDITARIO DOMINO uff Seren/
Fürpede und Rehden &c.

DOMINO, EVERGETÆ, ET PATRONO
SVO SVBMISSE COLENDO

Exercitium hocce Academicum ad testandam sub-
missam animi observantiam, studiorumque suo-
rum commendationem

D. D. D.

HENRICVS THEODORVS ULRICI
Hagâ-Wölpenfis Brunsvicensis.



B. C. D.
Præliminaria.

Priusquàm ipsam quæstionum resolutionem aggrediamur, forsàn non peccabimus, si pauca quedam de contractuum origine eorumq; definitione præmittamus, ut & hypotheses quasdam futura disquisitioni substernamus.

§. I.



Riginem absque dubio debent contractus indigentia humanæ. Nimirum Deus & natura volebant homines esse ζῶα πολιτικά i. Nic. c. 7. quæ scilicet vitam viverent socialem, communicando inter se invicem res & operas sive συναλλάγματα inter se invicem instituendo: hunc autem finem ut Deus consequeretur, provida ejusdem sapientia homines condidit multarum rerum indigos, dominiaque rerum inter homines distribui permisit, adeò solerti prudentiâ, ut, *quod uni deest, alteri ut plurimum supersit*: hinc indigentia, quæ humanum urgebat genus, suavem eidem imponebat permutandarum rerum necessitatem, arctoque adeo societatis vinculo idem constringebat, ἡ χρεία γὰρ πάντα συνέχει, *indigentia enim omnia consociat, s. continet*, inquit eleganter Aristoteles 5. Nic. c. 5. Neque vero sufficiebat res invicem permutari, referebat omnino quomodo permutarentur, hinc tum jus naturæ tum gentium tum civile in eo non exiguam ponebant operam, ut actus sociales, (συναλλάγματα) ad justitiæ reducerent normam, quò sine certos & legitimos permutandarum rerum constituerent modos, inter quos principem obtinent locum contractus. Hæc de origine contractuum.



II. Hypotheses quod attinet, supponimus, contractus esse actus humanos, adeoque & contractibus competere eadem, quæ actibus humanis: quoad hos autem supponimus, eosdem admittere gradus, gradus autem æstimari ex gradibus *εργασίας*, quò scilicet actus aliquis est magis proæreticus, eò etiam magis est humanus: proæreticos autem gradus æstimantur ex gradibus partium aut quasi partium proæreticos, consultationis nempe & volitionis; quò actus aliquis est magis deliberatus & quo magis volitus, eò magis est proæreticus: tùm autem consultatio adest in excellenti gradu, quando accuratum & sollicitum in intellectu instituitur rei, an sit bona vel minùs, examen, volitio autem tùm excellenti gaudet gradu, quando voluntas pleno appetitu fertur in objectum, ita ut nihil aut parum contrariæ inclinationis seu repugnantia sit mistum. Et hoc fit, quando voluntas propriis inclinationibus & libertati relinquitur, ita ut volitionem ex intimis suis visceribus educat: quando autem contingit, ut voluntati libera eligendi aut volendi potestas non permittatur, sed eligere aliquid teneatur quàmvis repugnante propriâ inclinatione, tùm non adest volitio plena, sed mista cum dolore & repugnantia, adeoque & volitio inibi in remissiori gradu adest, & sic est quodammodo volitio non-spontanea, non-libera. Et hoc potissimum contingit, quando voluntati offeruntur duo gravia mala, à quorum utroque abhorret, quorum tamen alterutrum necessario est eligendum, hoc in casu enim voluntati non permittitur plena exercitii libertas, neque enim pro lubitu suspendere potest volitionem; quod si deinde in appetitu suboriantur affectus vehementes & naturales, qui fortiter sollicitent voluntatem ad hujus mali volitionem, illius aversionem, hoc ipso voluntatis libertati etiam quoad speciem actus seu contrarietatis aliquid detrahitur, & sic volitio aut electio istiusmodi est ferè non spontanea, non libera, non
volunta-

voluntaria, sed quodammodo extrinsecus voluntati illata: videatur illustre hujus seculi sicut Hugo Grotius in incomparabili de Jure B. & P. volumine l. 2. c. 20. §. 29. cum notis: add. l. si mulier 21. §. penult. ff. quod met. caus. Quò magis igitur actio est deliberata & sponte volita sive voluntaria aut libera, eò magis est proæretica, quò magis est proæretica eò magis est humana, quò minus est proæretica eò minus est humana: hinc iterum summus Hugo Grotius l. de J. B. & P. 2. c. 20. §. 31. quò magis, inquit, eligentis iudicium impeditur, & quò causæ impediens magis sunt naturales, eò minus etiam est quod delinquitur. Summum ingenium adjuvatur summi ingenii calculo, videatur saltem Aristoteles 7. Nic. c. 6.

III. Porro supponimus gradus actionis humanæ determinare gradus effectuum, qui consequuntur actiones humanas: quò aliqua actio est magis humana, eò majorem gradum participant etiam ejusdem consequentia, hinc juxta Nic 3. c. 1. si quis agat quædam à μη δει, quæ non decent. *Ὅταν δ' ἀνθρώπων τῶν ἐπιπέσειν ἢ μηδεὶς ἀνθρώπων, veniæ locus relinquitur: & juxta Grotium lib. & cap. cit. §. 26. 29. 31. ea delicta, quæ vel per ignorantiam, quàmvis omni culpâ non carentem, vel per infirmitatem animi superabilem quidem, sed difficulter superabilem, puta per affectus vehementiores & naturales, committuntur, aut penitus remitti, aut pœna mitigatâ affici convenit.* add. Prov. 30. v. 6. Certa scilicet proportio debet esse inter actus humanos & consequentia eorundem, hinc crescentibus delictis crescent pœnæ, decrescantibus decrescunt, unde & licet reciprocam argumentationem instituere inter gradus actuum humanorum, & gradus effectuum qui consequuntur actus humanos.

IV. Quum igitur contractus sint actus humani etiam hætenus adducta iisdem competent. In specie supponimus, contractus esse actus de naturâ suâ efficaces. Eff-

Actus eorundem primarii sunt *obligatio & actio*; nimirum hoc ipso, dum ego per contractum alii promitto, me ipsi velle aliquid præstare, hoc ipso jus alteri confero in me meavé; at vero juris naturæ præceptum est, suum cuique tribuendum, quapropter & ego obstringor alteri tribuere quod ejus est: Deinde vi contractus contrahentibus competit jus à se invicem exigendi illud, ad quod præstandum per contractum sese obligaverant, quod jus vocatur actio; *ipsa dictante enim naturali ratione, jus est ei, cui quid promissum est, promissorem cogere ad id, quod recta interpretatio suggerit: nam alioqui res exitum non reperiret, quod in moralibus pro impossibili habetur.* Grotius l. de J. B. & P. 2. c. 16. §. 1. Supponimus autem porrò contractus & consequentia contractuum (obligationem & actionem) admittere gradus, & quidem simul crescere & decrescere; conventio aliqua quò magis quoq; excellentiori gradu participat naturam contractus, eò magis contrahentes sibi invicem obligantur, eoque majori jure adversus se invicem agere possunt, & vice versa, quò major vel minor est obligatio aut actio contrahentium adversus se invicem, eo majori aut minori in gradu contractus præcessit: imò ipsa obligatio & actio videntur sibi invicem quoad gradus æqualia esse, quò magis una pars contrahentium alteri est obligata, eò major actio competit uni contrahenti in alteram partem obligatam, & vice versa, quò major vel minor actio uni contrahentium competit in alterum, eò magis vel minus alter alteri est obligatus.

V. Definitionem contractus quod attinet, communem nacta est applausum illa Labeonis, quâ describit contractum, quod sit *ultra citroq; obligatio*. Verum si hæc definitio obtinere debet, tum (1) per obligationem non debet intelligi consequens & effectus contractus, sed potius ipse
actus

actus, quò duo vel plures se invicem ad aliquid præstan-
dum obligant: (2) per obligationem quæ fit ultro citroque
sive quæ est mutua, non est intelligenda obligatio ad actio-
nem propriè dictam, transeuntem scilicet (quæ à quibus-
dam dicitur onerosa, item realis, quâ quis rem suam in alium
transferre tenetur, talis enim obligatio vix datur nisi in
contractibus onerosis, qui obinde à quibusdam vocantur
διπλοῦς.) sed intelligenda est obligatio ad aliquid *quocumq;*
modo præstandum: & hæc ratione etiam datur mutua obli-
gatio in contractibus lucrosis & *μονοπλοῦς*, quemadmo-
dum enim v. g. donans tenetur dare promissum, ita donata-
rius, qui consensit in donationem, tenetur accipere promis-
sum donatum, aut si hoc nolit, tùm competit donanti actio
in donatarium. Alii Vlpiani descriptionem assumunt, quod
sc. contractus sit duorum vel plurium in idem placitum consensus:
verùm & affectæ unius sectæ in idem placitum consentiunt,
nec tamen hoc ipso dicuntur contrahere.

VI. Nos putamus contractum forsan non adeò malè
describi posse secundum 4. causarum genera h. m. *Contra-*
ctus est duorum vel plurium de re aliquâ, circa quam jus & poten-
tiam habent, præstandâ proæretica conventio alicujus boni obtinen-
di causâ, s. talis actus quò (1) duo vel plures (2) plenè deli-
berato animo plenâque voluntate s. sponte & liberrimè (3) in-
dicant (4) per signa convenientia (5) sibi invicem, se velle, ut
aliquid ad quod præstandum & (6) potentiam & (7) licentiam
seu jus habent, sibi invicem præstari debeat (8) alicujus boni ob-
tinendi causâ.

VII. Dicitur (1) quod contractus sit actus quò *duo*
vel plures &c. Quemadmodum enim ex hypothesibus Ari-
stotelicis est impossibile, ut idem quatenus idem sit mo-
vens & mobile, ita & impossibile videtur, ut idem quatenus
idem respectu ejusdem sit & contrahens & is quòcum
contra

contrahitur, siquidem contrahens dat alteri parti contra-
henti aliquid v. g. jus, quod alter antea non habebat:
quod si jam contingeret, ut idem contraheret aut pa-
cisceretur secum ipso, utique idem suppositum haberet
idem & non haberet e. g. si quis posset secum inire contra-
ctum donationis, idem & haberet jus in rem donandam &
non haberet, haberet quatenus est donans, non haberet qua-
tenus est donatarius.

II. Dicitur (2) *plenè deliberato animo, plenaq; volun-
tate* &c. Scilicet uti in hypothesebus dictum, contractus sunt
actus proæretici, requiritur igitur ex parte intellectus deli-
beratio (quæ est actus cum circumstantiis suis cogniti exa-
men an sit nobis bonus an verò minus) ex parte voluntatis
autem volitio requiritur. Dum autem ad contractum requi-
sivimus plenam deliberationem, plenamque volitionem,
hoc est intelligendum de contractu in *excellenti gradu* qui est:
& hoc absque dubio volunt J. Cti, quando *ad perfectum con-
tractum liberrimum & spontaneum requirunt consensum.*

III. Dicitur (3) *indicant se velle* &c. Hoc ipso osten-
ditur, quodnam debeat esse proæreticum, nempe ipsa actua-
lis conventio contrahentium, ipse actus contrahendi, nec
enim necesse est ut ipsum objectum contractus aut execu-
tio seu adimpletio contractus sint volita: v. g. ad contractum
donationis non requiritur, ut verè velimus donationem
ipsam, possumus enim eandem simulare, sed sufficit ex parte
nostrâ, ut legitimis & sufficientibus signis alteri indicemus,
nos ipsi velle aliquid donare, unde nec exceptio doli simu-
lantem juvare potest, sed promissum præstare tenetur, *ini-
quum enim est, ut quis ex dolo suo sentiat lucrum.*

IV. Dum dicitur (4) *per sufficientia signa* contrahe-
ntes sibi indicant &c. innuitur, contractus præcipuè prout in-
euntur inter homines, esse actus non internos sed externos
adeoque

adeoque nec absolvi nudâ volitione, aut consensu, sed consensum debere per sufficientia signa alteri manifestari: talia autem signa non necesse est, ut semper sint positiva v.g. loquela, nutus &c. possunt etiam esse negativa v.g. silentium, &c. quando sc. tûm taces, quum loqui tui intererat, hinc effata, *Jctorum, prasens actui & tacens quem contradicendo impedire poterat, eundem approbare intelligitur: item: patientia cum scientiâ habetur pro consensu.*

XI. Dum dicitur (5) *contrahentes sibi invicem indicant, innuitur, ad contractum utriusque partis consensum requiri.* Non levis momenti Dd. addunt, non sufficere ad complementum contractus, ut principales contrahentes consenserint, sed insimul requiri consensum eorum, quorum interest, quibusque jura quædam circâ rem, de quâ contrahitur, competunt, neque enim principales possunt jura interessentium, uti loquuntur, alienare & sine consensu eorum in alium transferre.

XII. (6) dicitur, *ad quod præstandum potentiam habent.* Scilicet ex parte objecti, ad quod præstandum nos invicem nos obligamus, requiritur, ut à nobis præstari queat: omnis siquidem actus in moralibus ita est instituendus, ne recidat in vanum, sive ne sit frustra; at vero nisi pacta serventur, frustra contraximus: enim vero quâ ratione pacta servare queamus, nisi id, ad quod præstandum nos obligamus, præstare possimus?

XIII Dicitur (7) *ad quod præstandum etiam jus & licentiam habemus.* Nimirum objectum, ad quod præstandum nos obligamus, debet esse licitum nosque jus circâ illud debemus habere, quâ ratione enim aliàs salvâ justitiâ rem illam utpote alienam possemus in alium transferre? Septimum hocce requisitum octavo etiam quodammodo innuere volumus, siquidem

B

XIV.(8)

XIV. (8) diximus, contractus debere institui *alicujus boni obtinendi causâ*: siquidem *συναλλάγματα* ideò in societatem humanam sunt introducta, ut inde aliquod commodum generi humano acquireretur. Non autem requiritur, ut utrique contrahentium bonum aliquod procuretur per contractum, sed interdum sufficit, ut alterutri id concilietur, uti hoc patet in contractibus lucrosis & *μονοπλοῦσι*. Quod si igitur contractus debent institui alicujus boni obtinendi causâ facile patet, quod illæ conventiones, quæ lædunt aut animam aut corpus contrahentium, (nisi forsan aliquod insigne bonum v. g. Reipubl. inde procuretur) exuant rationem & naturam verorum contractuum.

XV. Hæc etiam dicta sunt de descriptione contractus. Repetimus autem hanc descriptionem esse contractus in excellenti gradu talis, talis autem describi debebat, siquidem ea quæ admittunt gradus, ita debere tractari, docuit nos Aristoteles in descriptione Summi boni. Quemadmodum autem ille c. ult. 2. Nic. optimè nos docet actiones morales metiri ad actionem virtuosam perfectissimam, (ad S. B.) docetque non statim dicendum esse aliquem non egisse virtuosè, si *μικρὸν τὸ εὖ παρεμβαίνει, ἀλλ' ὅταν πλεον*, ita & nos non statim conventioni illi debemus abjudicare rationem contractus, cui descriptio contractus in excellentiori gradu talis non competit, sed debemus conventiones ad contractum in excellenti gradu qui est metiri; quò magis scilicet congruit conventio aliqua ad potissimum contractum, eò etiam magis est contractus, quò magis recedit, eò minus rationem contractus participat. De promissis non attinet plura præmittere, quandoquidem eorum doctrina bonam partem convenit cum doctrinâ de contractu: potest interim videri si placeat sæpe laudatus.

Hugo

Hugo Grotius c. II. libri 2. de J. B. & P. Jam ad ipsas quaestiones.

Q. I. Num Rex Judæorum Herodes vi contractus aut promissi, quò filia Herodiadis ob concinnum saltandi modum se quibuslibet eisdem petitis locum reliquurum iurato promittebat, obligatus fuit S. Johannem obruncare?

§. I.

Ita sanè statuebat Herodes: expressè enim legitur Matth. 14. v. 9. Regis Herodis animum ad horrenda & inopinata Herodiadis petita stupore & anxietate esse percussum, nihilominus ob juramentum præstitum innocentem S. Johannem sanguinem curasse profundi. Sed absque omni dubio laboravit Rex Herodes Conscientia erroneâ. Hoc quidem nec potest nec debet negari, sanctissimam debere esse juramentorum fidem, siquidem juramentum est arctissimum rei sacræ vinculum per quod cum Deo censetur contractum, unde & frenum dicitur injicere animæ expressumq; & specialem demonstrare consensum: optimè Philo: ὅρκου μαρτυρία θεῶν ἐστὶν πρὸς ἅπαντας ἀμφοτεροβλήτου, jusjurandum est Dei testimonium de re de quâ ambigitur: hinc & juxta Dionys. Halicar. l. 6. antiq. pacta jurata habent ultimam fidem inter homines tum Græcos tum barbaros, ἢν σθεῖς πώποτε ἀναρῆσαι χεῖρον, quam nulla unquam delebit ætas, utpote quæ sponsores adhibet Deos. Quapropter & adeò sanctum apud Romanos fuit habitum juramentum, ut non saltim Regulus in carcerem quamvis iniquum redierit, sed & decem illi, quorum mentionem injicit Cicero 3. Off. Annibali se iterum stiterint, eò quod juramento se obstrinxerant.

II. Quamvis autem firma juramento sua debeat constare sanctitas, prodit tamen interdum casus, qui vim juramenti inhibeat. Præsupponimus scilicet (1) omnem actum

B 2

obliga-

obligatorium debere versari circa licita, neque enim jus aliquod habemus in illicita, quapropter nec ad ea præstanda nos possumus obligare. (2) supponimus, accessorium sequi naturam sui principalis, negotii scilicet aut actionis cui accedit, adeoque nec habere vim sui principalis naturam invertendi. Hisce positis dicimus cum Hugone Grotio l. de J. B. & P. 2. c. 13. §. 6. *nullas vires habet jurata promissio de re illicita aut naturaliter aut divinâ interdictione aut etiam humanâ.* Juramentum enim ex eo quod per se est illicitum & inefficax, non potest facere licitum & efficax: jam vero conventiones & promissa in se spectata, si sint de rebus illicitis sunt nulla vid. supr. §. 13. E. nec juramentum accedens potest eadem reddere valida. Hinc Carpzovius Jurispr. Eccl. l. 2. t. 9. def. 172. *inquit, pacta contra bonos mores quæ sunt, etiam si juramento sint confirmata contrahentes non valent obligare.*

III. Ex his jam facilè patet, Herodis promissum quamvis juramento confirmatum fuisse nullum, utpote quum fuerit injustissimum, innocentem sancti & summè meriti Viri profundere sanguinem, unde nec promissum simplex nec juramento vestitum potuit Herodem ad tanta facinora validè obstringere. Optimè S. Augustinus: *Si ad peccatum admittendum fides adhibeatur, mirum est si fides appelletur, neque enim sanctissimum Numen sacrum juramentum voluit esse nequitiae instrumentum.* Crassâ itaque inscientiâ & Rege indignâ imprudentiâ laborabat Herodes, facilè enim potuisset excipere ad puellæ petita, juramenta & promissa non esse extendenda ad illicita & impossibilia, hæcque in omni contractu semper excipi.

IV. Quid igitur, quæris, est statuendum de ipso facto, quo Rex Herodes trucidabat Johannem, nonne hoc ipsum potest excusari hæc ratione, quod Herodes hoc facinus commiserit per errorem & ignorantiam? jam verò suprâ in prælim.

prælim. §. 3. & 4. dictum, actus humanos qui alicui possunt im-
putari in laudem vel vituperium debere esse actus proæreti-
cos: deinde Conscientiæ, utpote Vicarii Dei, dictamen de-
buit sequi Herodes, at vero hæc ipsi dictabat, juramentum et-
iam innocenti sanguini non debere parcere. Sed R. ad pri-
mum: ignorantiam vincibilem & crassam non excusare 3. Nic.
c. 1. nec enim eadem omnem *αεγαιεσιν* tollit ab actu, qui ad
talem ignorantiam consequitur, siquidem illa ignorantia dum
fuit vincibilis, fuit affectata & volita ab homine ignorantiam
onerato, qui autem vult antecedens vult etiam consequens:
istiusmodi autem crassa & affectata ignorantia fuit He-
rodis, neque igitur potest ipsum excusare. Quod (2) di-
citur, Herodem debuisse suam Conscientiam quamvis er-
roneam sequi R. utique illum debuisse ductui ejusdem
obedire ob rationem in Objectione allatam, verum nec
hoc ipso dum Conscientiam suam audivit, à peccato fuit
immunis. Ergone, inquis, Rex Herodes peccato fuisset
obnoxius ab utroque latere, sive audivisset conscientiam er-
roneam dictatum trucidando Johannem, sive non audivis-
set? R. ita ferme est: quod si non secutus fuisset dictatum
erroneæ Conscientiæ, utiq; peccasset, quantum enim in ipso
voluisset contra præcepta Dei agere; dum autem secutus est,
ab altero latere peccatum invasit eundem, siquidem egit dif-
formiter præceptis naturæ & divinis prohibentibus sangui-
nem humanum profunderere innocentem. Quum igitur tan-
tum periculum peccandi immineret Regi Herodi, meritò
cautius procedere debuisset, in juramenti enim promiss-
foriis futuri incerti obtinet illud Philonis: *Optimum atq; utilis-
simum & rationali naturæ convenientissimum est, juramento absti-
nere, ne scilicet si juramentum non possimus prestare, aut si prestemus
etiam sic peccatum nobis immineat, peccata peccatis cumulemus;*
quum aliàs etiam juxta B. Balduinum Cas. Consc. l. 2. c. 8.

cas. 4. talia vota (eadem est ratio de aliis conventionibus) facienda non sint, quæ ordinem Dei convellunt, vel corpus aut animam ledunt, aut occasionem peccandi præbent; hinc quid juxta eundem de voto Jephthe Judic. II. v. 31. sentiendum longâ disquisitione forsan haud indiget.

Q. 2. Num Iuda, qui certâ mercede conducebat usuram corporis Thamaris, quam putabat esse meretricem, fuerit obligatus promissum pretium post concessam usuram corporis Thamaris mittere? Vid. GENES. XXXIX.

§. I.

Vir quidam eruditus negativam tuetur, ductus potissimum h. r. N. contractus qui continet causam turpem est obligatorius, At vero talis fuit contractus qui intercessit inter Judam & Thamarem E. non fuit obligatorius. Major constat tum ex præliminaribus §. 13. tum ex præcedentis quæstionis §. 2. Minor etiam facile constat, siquidem libidinis explendæ gratiâ Juda talem contractum inibat. Deinde addi potest, contractum istiusmodi Thamaris per dolum elicuisse à Judâ, simulabat enim se eadem meretricem; quod si enim Juda scivisset quod Thamar agnationis vinculo sibi esset juncta, nunquam vel poposcisset usuram corporis vel mercedem pro eadem promississet: at vero contractus dolo elicitum sunt nulli nec à parte deceptâ servandi. Ulterius posset quis hanc rationem subjungere, quod ille qui solvit mercedem pro præstitâ operâ turpi, hoc ipso fiat quodammodo reus & causa moralis ipsius facti turpis, siquidem per solutionem impellit & movet aliam personam ad perpetrationem facti turpis, videtur etiam quodammodo turpem operam approbare: prætereà pœna à Magistratu est infligenda ei, qui turpem operam alteri navat, at vero hoc utiliter fieri potest, si Magistratus deneget personæ operam turpem navanti promiss-

promissum pretium, absque quò si sit, spe turpis quæstus magis promovet Magistratus actus turpes, quàm ut impediat, quùm & aliàs actus jam tùm consummatus infirmetur in pœnam ejus, qui legis iussioni adversatur. Hemming. l. de conjug. c. de caus. repud. turpe etiam sit ut quis ex re turpi sentiat lucrum. Et hoc forsan fuit fundamentum decisionis illius, quam Cajus Aquilius contra Octaciliam Latrensem, quæ ob commercium corporis, quod concesserat C. Varroni, promissam exigebat mercedem, ferebat, ut est apud Valer. Max. l. 8. c. 2. n. 2.

II. Incomparabilis tamen Hugo Grotius l. de J. B. & P. c. xi. §. 9. ad contrariam videtur inclinare sententiam. Promissiones sc. aut contractus conditionati, qui pro impletionis conditione habent rem turpem ab altera parte præstandam possunt dupliciter considerari (1) ante adimpletionem conditionis turpis (2) post impletionem: v. g. quando quis alteri promittit certam pecuniæ summam, hac conditione ut alium è medio tollat, promissio hæc potest duplici modo considerari, semel quatenus se habet ante perpetratum homicidium, deinde quatenus se habet post perpetratam necem: quæ est ratio promissi aut contractus, eadem hac in parte est impletionis promissi. Deinde supponimus, promissionem aliquam aut contractum, item eorundem impletionem, quæ pro conditione habent actum aliquem turpem ideò præcipuè esse turpia, quòd sunt causa impulsiva, aut uti loquitur Grotius, *illex ad actum aliquem turpem*, v. g. quando quis mulieri promittit precium vel etiam dat ut illicitam concedat corporis usuram, tùm istiusmodi promissio, aut exhibitio pecuniæ evadit turpis eò quod allicit & impellit mulierem ad actum turpem. Porro supponimus, efficaciam contractuum conditionatorum ante adimpletionem conditionis esse in pendentem, impletâ autem conditione efficaciam suam habere actu.

III. Jam

III. Jam dicimus: Promissum aut contractus quilibet conditionatus, cujus conditio est actus turpis, ante adimplerionem conditionis est nullus, adeoque contrahentem non obligat sed potest & debet revocari: ratio est hæc, quoniam tale promissum talisve contractus ut & ipsa adimpletio ejusdem continent causam turpem, siquidem promissis & præstatione promissorum alii impelluntur ad peractionem rei malæ; at vero conventiones vitia inducentes sunt nullæ juxta §. 13. & 14. *prælimin.* utpote quum contractus sint introducti boni finis gratiâ: deinde quando conditio turpis ab alterâ parte nondum est adimpleta, efficacia contractus adhuc est in pendentem, & sic quodammodo adhuc est in nostrâ potestate; at vero quando conditio turpis est ab altera parte adimpleta, contractus non amplius est in potestate promittentis, adeoque is eundem non potest revocare, sed tenetur promissario promissa præstare, neque enim tum amplius promissum vel potius ejusdem adimpletio turpitudinem aut vitiositatem in se continet, siquidem fons vitiositatis est remotus, neque enim impletio promissi post præstitum ab altero factum turpe est causa impulsiva facti turpis ab altera parte elicitum, sed ferè est merces promissario pro operâ suâ à promittente debita; quod si autem promissum fuisset præstitum ante perpetrationem facti turpis, tum utique illa adimpletio promissi fuisset causa impellens ad factum turpe, adeoque & ipsa fuisset turpis & illicita. Et ita videtur judicandum in genere de contractibus aut promissis, quibus pro certo pretio ab altero poscitur actio turpis, nimirum quando alter suam operam quàmvis vitiosam locavit, tum jure videtur ipsi deberi promissa merces. Ex dictis etiam facile potest peti responsio ad objectionem primam: scilicet Major debet limitari h. m. N. contractus qui continet causam aut conditionem aliquam
turpem

turpem, quamdiu illa conditio nondum est adimpleta, est obligatorius, & hæc restrictio si ad Conclusionem transfertur, totus syllogismus conceditur, sed tùm non est elencticus, neque enim quærebatur de eo, anne Juda Thamari fuerit obligatus ad promissa præstanda *antequam* Thamar Judæ usum corporis sed *postquam* concessit. Quod secundam objectionem attinet, notandum non omnem dolum vitare contractum, nec in quolibet contractu vitare quodlibet, sed illud saltim, cuius ignorantiam dolus inducit, de quibus fusius in subsequenti quæstione: jam quidem hoc notetur, illa, quæ Juda Thamari *ceu meretrici* promiserat, Judam obligatum fuisse Thamari dare, in istiusmodi mercedem enim consentiebat Juda, reliqua autem quæ forsitan Thamar *ut nurus Judæ* per concubitus intendebat, ut vel liberi per huncce concubitus procreati succederent in bona Judæ, vel in vindictam Judam turpis cum nuru suâ concubitus reum faceret, talia, inquam, non stringebant Judam, nam in hæc ipsa Juda non consentiebat, utpote quum dolus & simulatio Thamaris harum circumstantiarum ignorantiam in animum Judæ inducerent. Ad tertium posset responderi (1) per instantiam: Magistratus non raro jubet stuprantem, ut stupratam in matrimonium ducat, aut certam pecuniæ summam eidem det, at vero quis dixerit, Magistratum esse hoc ipso causam moralem stupri, movere aut impellere mulierem ad perpersionem stupri, approbare hoc factum turpe. Proinde distinguendum est inter solutionem mercedis prout se habet ad operam mercenariam *præcedaneam*, & prout se habet ad similes actus *subsequentes* per accidens: it. inter solutionem prout se habet in *esse reali* & *esse cognito*: v.g. solutio in esse reali talis, sive ipse solvendi actus, quò quis stupratæ post illatum stuprum mercedem promissam dat, non impellit

C

mulierem

mulierem ad perpetiendum stuprum jam tumantè illatum;
sed potius solutio prout est *in esse cognito* hoc facit, quo-
niam n̄ mirum mulier *presumebat*, se solutionem esse *consecu-*
turam post turpis operæ navationem, ideoque intuitu so-
lutionis futuræ corpus suum locabat alteri, adeoque non
tam ipsa solutio *in presenti* post actum turpem instituta
moveret mulierem ad turpem corporis usuram, quàm potius
præsumtio sive persuasio *futura* solutionis quam ad pro-
missionem sibi sistebat intellectus, unde quàmvis non sub-
sequatur solutio, tamen actus turpis fuit perpetratus. Quod
si autem solutio in esse reali posita consideretur respectu
actuum similium turpium adhuc *futurorum*, hoc ipso quodam-
modo vicem causæ impulsivæ mediatae, si cætera sint paria,
videtur obire, ex hoc enim quod quis solvit promissum
pretium, facilè iterum potest impetrare operam turpem,
siquidem talis solutio operatur in alterius intellectu præ-
sumtionem solutionis etiam imposterum eventuræ, quæ
deinde præsumtio movet voluntatem ad appetendum
actum turpem, causa autem causæ est etiam causa causati.
At vero hîc non quæritur de eo, num solutio respectu actus
futuri turpis fundet causalitatem moralem, sed anne hoc fa-
ciat respectu actus turpis solutionem *precedentis*. Interea
ne solutio mercedis promissæ futuris operibus turpibus
det occasionem, facili curâ potest caveri. Quod porro di-
citur, Magistratum debere pœna mulctare operam istius-
modi turpem, hoc verum est; enim vero non licet argu-
mentari à genere ad speciem, Magistratus debet pœnâ
mulctare meretricem E. debet eandem ita punire, ut ipsi
deneget mercedem à stuprante promissam: sunt adhuc alii
puniendi modi. Et punire debet Magistratus & inæquali-
tatem inter cives subortam corrigere. Distinguenda sc.
est pœna propriè dicta à restitutione damni aut correctione
inæqua-

inæqualitatis: quando stuprum infertur virgini tùm inter
stuprantem & stupratam orta fuit inæqualitas, siquidem quæ
vitium est passa, passa est damnum famæ & inde manantia
quàm plurima incommoda, quando igitur Magistratus ju-
bet eum, qui vitium intulit vitiatæ certam pecuniæ sum-
mam dare, tùm per justitiam *διος ἰσχυρῶ* inæqualitatem inter
has duas personas subortam reducit ad æqualitatem: quo-
niam autem utraque persona læsit honestum & publicum,
ideoque de novo etiam pœnas exigit ab utraque. Eadem
est ratio cum muliere, quæ mercede est ad turpem corpo-
ris usuram conducta. Neque vero hoc ipso dum vitians
vitiatæ dat promissum pretium, is sentit damnum, vitiata ve-
ro lucrum, siquidem juxtà hypotheses Grotianas pretium
illud se ferè habet instar mercedis pro præstitâ operâ quàm-
vis turpi. Magistratus etiam hoc ipso, quod promissum
pretium pro opera haud honestâ jubet dare, non promo-
vet actus turpes, siquidem hoc non obstante nihilominus
pœnâ actibus turpibus proportionatâ utique potest abster-
rere haud adeò probæ notæ homines, imò absterret, dum
adigit promittentes servare promissa, quorum solutio non
raro cum insigni solventium incommodo est coniuncta.
Hæc pro Grotio possent afferri. Dissiteri interim non pos-
sumus, certi quid in universum ob infinitam ferè circum-
stantiarum differentiam determinari hîc vix posse, sed pru-
dentia & æquitati Magistratus plurima esse relinquenda.

*Q. 3. Num conventiones aut contractus dolo mixti partem
deceptam valide obligant?*

Vulgata est regula juris, *pacta & contractus dolo initi nul-
lius sunt momenti nec à parte deceptâ servandi*: hinc do-
lus non tantum contractus bonæ fidei vitiat, sed & stricti
juris per exceptionem rescindere dicitur, & quodcunq; pri-
vilegium.

C 2

vilegium adimere. Fundamentum nullitatis contractus dolosi est defectus requisiti secundi contractus supra in prælim. §. 8. recensiti: contractus sc. debet esse actus proæreticus, at vero dolus inducit intellectui ignorantiam circumstantiæ occultatæ, adeoque consensum excludit, conventio igitur illa, quæ ab aliquo qui dolo est circumventus, inicitur, est invita per ignorantiam. Optimè tamen hîc distinguunt Dd. inter *dolum qui dat causam contractui, & incidentem aut concomitantem*: priori dolo respondet ex parte decepti ignorantia quæ dat causam contractui, posteriori ignorantia incidens; tum autem ignorantia dat causam contractui, quando quis per & propter ignorantiam contrahit, adeo ut nisi ignorantia adfuisset, non contraxisset; ignorantia autem incidens tùm dicitur adesse, quando ignorantes contrahimus. vide 3. Nic. c. 1. deinde quemadmodum alia ignorantia est vincibilis, alia invincibilis, ita & dolus.

II. Jam notandum, quemadmodum ignorantia incidens non facit ut contractus, aut quivis alius actus ab homine procedens sit invitus, sed saltem ignorantia dans causam actioni, ita nec dolus incidens potest facere contractum invitum adeoque & nullum, sed saltem dolus dans causam contractui; sive, quod fere idem, quemadmodum is qui ignorans contraxit, adhuc verè contraxisse dicitur, ita & qui deceptus contraxit, quemadmodum vero is qui per ignorantiam contraxit, invitus contraxisse dicitur, & sic pro non-contrahente habetur, ita & comparatum est cum eo, qui per & propter dolum conventionem aliquam inicit. Quemadmodum porrò ignorantia vincibilis actum aliquem non reddit invitum sed quodammodo voluntarium saltem indirectè, ita nec dolus superabilis reddit contractum invitum, *quod si enim quis ex suâ culpâ sentiat damnum, non censetur damnum sentire, sed sibi id imputare debet.*

III. Pro

III. Probè porrò distinguendum est inter dolum, qui inducit errorem in substantiâ contractus, & dolum, qui in qualitate inducit errorem. Hactenus autem inter Doctores vix constat, quisnam error sit in substantia, quisnam in qualitate? unde tanta litigia inter Canonici & Romani Jurium Doctores, uti hoc præcipuè patet in doctrinâ de matrimonialibus. Nobis salvò doctiorum judicio videtur tum committi error in substantiâ contractus, quando ignoramus aliquid, quod ad essentiam contractus ejusvé complementi pertinet; illud autem videtur pertinere ad essentiam contractus, sine quò contractus non potest subsistere, aut sine quò finis contractus non potest obtineri. Error autem in qualitate tum videtur dari, quando id quod ignoramus non pertinet ad naturam aut rationem contractus, sive quod si abest, non tollit contractum. Tale autem quod pertinet ad essentiam hujus vel illius contractus in specie sunt ut plurimum circumstantiæ principales & substantiales, objectum sc. & finis. Non autem putandum est, omnem statim errorem qui versatur circa has duas circumstantias principales esse errorem substantialem, sed illum demum, qui versatur vel circa ipsam substantiam & corpus harum duarum circumstantiarum vel circa earundem qualitatem substantialem: (est autem qualitas substantialis contractus, quæ pertinet ad essentiam contractus, adeo ut eadem sublata & ipse tollatur contractus.)

IV. Jam Dd. optimè monent, errorem qui est in substantia, adeoque & dolum inducentem talem errorem vitiare & annullare contractum, errorem autem in qualitate (accidentali) minùs: ratio videtur esse hæc, quia error, qui est in substantiâ, dicit ignorantiam quæ dat causam contractui, adeoque contractum facit invitum per ignorantiam, adeoque & nullum, quemadmodum & propterea dolum, qui



inducit talem errorem substantialem, utpote dans causam contractui, vitiat contractum: deinde, commune est effectum, *omnis actus ita est instituendus, ne recidat in vanum* & sit frustra, at vero talis contractus, in quò erratur quoad substantialia, planè recidit in vanum. E. est nullus. Errorem autem in qualitate accidentali quod concernit, ille non dicit ignorantiam quæ dat causam contractui, adeoque non potest contractum reddere invitum; quàmvis enim talem errorem non comitetur expressa voluntas qualitatis ignoratæ, præsumitur tamen, etiamsi error abfuisset errans. quæ qualitatem scivisset, quod nihilominus contractum non noluerit. Notandum autem est, dum dicitur, dolum facere contractum nullum, adeoque non obligare, hoc obtinere ex parte decepti non vero decipientis, *iniquum enim est, ut quis ex dolo suo sentiat lucrum*, hinc nec naturales nec civiles leges opitulantur decipientibus, sed deceptis, quod patet ex Græco Severi rescripto: *ταῖς ἀπατώσαις γυναῖξί τὸ δόγμα τῆς συνκλήτης βελῆς εἰ βουθεῖ*, decipientibus mulieribus (quibus tamen sua infirmitas favorem conciliat) senatusconsultum auxilio non est l. & primò 2. §. 3. ff. ad Sctum Velleianum.

V. Ex hisce jam plurimas plurimarum quæstionum decisiones licet petere. v. g. *Q. num iacob ex hoc, quod passus est sibi jungi Leam ceu maritam Gen. 29. fuerit obligatus, eandem in uxorem retinere?* R. negativè. Quamvis enim hoc ipso, dum Jacob die suarum nuptiarum in thorum suum assumit Leam, non secus ac si esset marita sua, videatur quodammodo conjugium iniisse cum Lea, nihilominus inibi reverà contractus conjugalis non fuit, siquidem *dolo substantiali* inductus à Labane Jacob hoc ipsum peragebat, per dolum enim Laban loco Rahelis substituebat Leam, adeoque Jacob dum cohabitans Leæ putat esse Rahelem

Rahelem committit errorem in *substantiâ* nempe circa ipsum objectum, talis autem error vitiat & annullat contractum. Eadem est ratio, quando mulier inscia spadoni nubit, hîc enim iterum committitur error & dolus in substantiâ, circa ipsum nimirum objectum conjugii ejusdemque qualitatem substantialem, sine potentiâ enim generandi conjugium finem suum indipisci non potest, adeoque in tali casu nullum matrimonium censetur initum atque sic potest annullari. Aliter autem se res habet, quando juvenis spe dotis insignis ducit pauperulam in matrimonium, ibi enim est & manet verum conjugium, nec enim hic erratur in substantialibus matrimonii, sed saltim in qualitate, dos enim insignis non necessariò requiritur ad conjugium.

Q. quid sentiendum de illo modo, quò tempore belli solent pretium, quod conscribendo militi est destinatum, per dolum ad alios transferre, numne acceptantes pretium verè obligentur ad militandum? Certè si positis principiis standum negativè videtur respondendum: neq; enim inibi legitimus contractus intercessit, siquidem illi qui accipiunt pecuniam, ut plurimum dolo, qui dedit causam conventioni, inducti sunt ad accipiendû; nunquam enim accepissent, si scivissent hoc ipso se debere obligari ad militandum. Aliter autem videtur sentiendum, quando cum subditis Majestatis, qui aliàs sine novo & speciali contractu erant obligati cogente necessitate bellis Reipubl. inservire, ita proceditur, illi enim non tam vi pretii dati, quàm alio nomine ad militandum sunt obligati.

Q. 4. Num illi, qui certis quibusdam rebus v. g. pronunciatione verborum, characteribus &c. nituntur aliquid efficere ad quod tamen præstandum res illæ per se nullam vim habent, pactum ineant cum Diabolo?

Distingendum videtur inter illos qui talia ludicra exercent; Aut enim sciunt, res istas, quas adhibent, nullam

lam habere efficaciam ad effectum istiusmodi edendum quem intendunt, adeoque necessario subesse causam aliam istiusmodi effectus, quæ tamen non sit Deus, (utpote qui non vult tentari, adeoque raro aliquid, quod extrâ naturæ cursum vagatur, agit, nisi illud promiserit & faciat ad nominis sui gloriam,) nec etiam esse alium spiritum bonum, (quum tales operationes sæpissimè vergant in ignominiam divini nominis nec etiam constet, ad istiusmodi operationes Spiritus bonos servitia sua commodare) sed esse proinde malum spiritum, qui aliàs haud invitus suam operam in perniciem hominum & ignominiam Dei offert: aut illi, qui talia agunt, nesciunt, adhibitas res nullas ad id præstandum quod intendunt, habere vires: porrò, si nesciunt, aut laborant ignorantia facile vincibili aut difficulter vincibili, in quò censu sunt infantes.

II. Jam quod scientes attinet, illi non admodum longè videntur distare à Magis sive talibus qui pactum cum Satanâ iniverunt: ipsi enim dum aliquid agunt, ad cuius præsentiam solet Satanas operari, per signa satis idonea indicant Diabolo, se exposcere ejusdem operam, qui enim vult antecedens vult etiam consequens si non directè saltim indirectè; ex parte mali spiritus etiam præsumitur consensus in postulatum, imò dum operatur, manifestò ostendit se consensisse, adeoq; quasi oritur inter Diabolum & homines ejusmodi res tractantes contractus stipulationis, homo enim poscit auxilium Diaboli, Diabolus promittit sed sub hâc conditione, ut homo has vel illas res adhibeat, quas etiam, si stipulatio in actum deducitur, homo adhibet & Diabolus operam suam præstat: ii porrò qui laborant ignorantia facile vincibili magis quidem distant à Magis, quàm qui sciunt ineffaciam rerum, non tamen penitus recedunt: qui autem laborant ignorantia aut difficulter
aut

aut planè non superabili, ii longius distant à Magis, (aliàs ex superioribus constat, conventiones quæ fiunt cum Diabolo, eò quod sunt illicitæ, non esse propriè dictos contractus.)

III. Et hoc iudicium sibi etiam sumant illi, qui corpus suum cōtrà injuriã globorũ & ictuum hostilium immune reddere satagunt, *die sich hart machen können* / (quos tamen ab arte magicã liberare conantur Trithemius & Corn. Agrippa) it. qui consecratis oleis, salibus, herbis &c. magna moluntur opera, quales nugivendulos medius Ecclesiæ sinus suo ambitu complectitur: quò etiam Cigeri & Judæi cum suo Schemhamphorasch, sanctissimo quidem nomine, sed in pessimum usum verso, (quos tamen refutat inter alios principes Doctores Judæos R. Moses Ægyptius juxtà Helvicum) & alii ejusdem farinae homines sunt relegandi. Quid de virgulâ divinatrice, quâ quidam in inveniendis venis metallicis utuntur, sit statuendum, potest videri apud *Ulysses Aldrovandum* l. 2. de metall. §. Metallog. *Libavium, Zeilerum, Forerum, Casum, & alios.*

Q. 5. Num liceat Monachis aut Monialibus à voto suo de non-ineundo matrimonio recedere?

Distingendum est (1) inter eos, qui aut votum suum adimplere non possunt, aut si adimpleant grave aliud peccatum ipsis imminet, & inter eos qui possunt adimplere: (2) inter illos, qui vires suas probè examinare scientes aut actu norunt, aut saltem non adeò difficili operâ scire possunt, votum suum aut planè non, aut difficillimè & cum periculo gravioris peccati adimpleri posse, hos, inquam, inter distinguendum est & inter eos, qui nesciunt. Illorum igitur votum, qui nec possunt adimplere, nec etiam sciunt istam impossibilitatem, longius recedit à promisso, destituitur enim secundo, & sexto contractus & promissi requisito v. præ-

D

limin.

limin. §. 8. 12. & 15. hinc & istiusmodi voventes non tenentur vi promissi aut contractus ad hoc, ut servant votum, quum promissum aut contractus nullus ibi sit: quod si etiam adimpletio votum periculo gravis peccati sit conjuncta (quâ ratione se habet votum perpetuæ castitatis, quod fit à Monachis & Monialibus incontinentibus) peccat etiam votum in septimum promissorum & contractuum requisitum *vid. supra prelim.* §. 13. quàmvis enim vovere aliquid, ut & votum servare, si in se & simpliciter considerentur, sint è numero rerum indifferentium, nihilominus si inducunt peccatum, hoc ipso reducuntur ad classem illicitorum.

II. Quum igitur illicitorum & impossibilium nulla sit obligatio, utique nihil videtur prohibere, quin dato casu liceat à voto de non-iniendo matrimonio recedere, *melius enim est nubere, quàm uri.* 1. Cor. 7. quemadmodum & aliàs vota Deo facta cum dissensu tamen eorum, quorum interest, rescindere non prohibebatur populus Dei. *Num. 30.* *vid. S. Cypr. l. 1. epist. 11. ad Pompon. de virgin. sacr.* addatur *Polydorus Vergilius* ipse Pontificius, utpote Papæ ad *Henricum VII. Britanniarum Regem Nuncius*, & *Walliarum Archidiaconus*, qui *lib. 7. c. 2. de Rerum invent.* recedit à sententiâ *Basilii, Cæsareæ Cappadocum* anno Christi 383 Præsulis, primi juxtâ *Polydorum* autoris trium *Monasticorum* votorum, aut juxta alios *Benedicti Nursini*, (qui vixisse dicitur seculo à nato Christo secundo,) *Vergilius* potius ad sententiam *S. Augustini* inclinat, ita enim inquit l. c. *Divus Augustinus quæ Basilio aqualis fuit (autoritate) permultis rationibus probavit, connubia post votum contracta non debere dirimi, veluti in Decretis. 27. 41. cap. nuptiar. planè exstat.*

III. At vero qui non possunt vota sua adimplere, sciunt tamen ineptitudinem suam & nihilominus vovent, illorum votum magis accedit ad contractum aut promissum,

sum, quàm §. i. recensitorum, siquidem in illis non tollitur scientia: unde quidem non licet eosdem planè adigere ad hoc ut votum arctè servant, non tamen facilè permittendum, ut resiliant à voto, certè enim minus non-obligantur quàm priores, siquidem minus absunt à promissis & contractibus. Graviter interim istiusmodi homines peccant, siquidem non verentur sanctissimo Numini quasi vendere fumum & nugas in re adeò sanctâ tractare, dum sc. promittunt Deo, se præstituros, quod tamen se haud posse præstare optimè norunt, unde & in pœnam fortius ad vota servanda astringendi sunt, siquidem *iniquum est, ut quis ex dolo suo sentiat lucrum aut commodum* inquit optimè l. non debet ii. in fin. cum l. seq. ff. de dolo malo. Isti autem qui vota sua servare possunt, quoniam quàm proximè videntur accedere ad contrahentes, non recedant à voto, nisi alia gravissima causa subsit, potius observent monitum sanctissimi Regis Davidis: *Immola Deo laudem, & redde Altissimo vota tua.* Ps. L. v. 14.

Q. 6. *Quid sentiendum de facto Constantiensium, qui Iohannem Hussum & alios contra datam fidem morte multarunt?*

PATRES Constantienses hoc ipsum factum pro legitimo habent, ducti hâc ratione: Hæreticis non est servanda fides E. nec Hussi & lociis ejus. Majorem probant: Q. pacta continent in se causam turpem, promittunt illicita, illa non sunt servanda, patet hoc ex §. 13. *prælim.* ubi dictum, illicitorum non esse contractus, E. nec obligabimur ad eadem præstanda vi contractus. Atqui pacta, quæ ineuntur cum hæreticis, continent in se causam turpem E. non sunt servanda. Minorem probant, quia pacta de libero exercitio & professione religionis falsæ pugnant cum propagatione religionis Christianæ, quæ tamen nobis incumbit. Deinde

D 2

etiam

etiam hoc factum defendunt argumento ab ipso Concil.
Constant. sess. 19. de causâ Joh. Hussi habitâ citato: Ju-
risdictio Politica non potest personam eximere è Jurisdi-
ctione Ecclesiasticâ, siquidem non licet mihi citrà injuriam
alteri jus eripere. E. nec potuit Imperator per saluum
conductum è Patrum Constantiensium, loco Papæ residen-
tium, potestate Joh. Hussum eximere: unde si vel maximè
Imperator promisit Hussu incolumitatem, remansit tamen
Ecclesiæ suum jus in eundem. Ita Patres Constantienses.

II. Nos autem argumentamur contrario modo: Q.
promissum habuit omnes conditiones promissi illud uti-
que fuit obligatorium: Atqui promissum Hussu ab Impe-
ratore factum fuit tale E. fuit obligatorium, adeoque de-
buit servari. Minor patebit ex dilutione argumentorum
contrariorum. Quod igitur attinet syllogismum priorem
R. ad ejusdem Maj. distinguendo: aut promittimus hære-
ticis *licita & possibilia* deliberato animo aut non: si prius,
utique promissa sunt servanda, quia habent requisita pro-
missorum, adeoq; & sunt obligatoria, nam hæretici æquè ut
non-hæretici sunt homines, nonnulli etiam non minus
quàm alii sunt cives E. & jura humana & civilia cum aliis
hominibus & civibus participant, nos æque illis ut aliis ho-
minibus & civibus obligamur ad servandos contractus: si
posterius, non sunt servanda promissa, ideò quod non sunt
vera promissa, & hoc non minus obtingit hæreticis quàm
non-hæreticis. Certè Gibeonitæ erant infideles, nihilo-
minus tamen Josua datam iisdem fidem sanctè servabat
quàmvis gravia obvertente murmura populo Israëlitico.
Jos. 19. v. 18 seq. Ipse Deus etiam violaram hanc à Saule fidem
fame trienni & morte septem filiorum ejus punivit *2. Sam. 21.*
Uladislaus quoque Rex Poloniæ & Ungariæ ob fidem,
quã Amurathi Turcarum Sultano dederat, fractam graviter
est

est punitus à Deo. *Böttig. Isag. Histor. p. 334. add. Gen. 21. & 31.* Et nisi vellemus servare fidem infidelibus & hæreticis, in quem statum tandem redigerentur commercia & συναλλάγματα? Porro syllogismus præsupponit Hussum cum sociis suis fuisse hæreticum, sed hoc nobis non patiemur persuaderi. Quod concernit prosyllogismum, respondeamus ad Minorem: quod si eadem universaliter intelligatur, negamus eandem, nam quid fiet de emtione-venditione, conductione-locatione &c. qui contractus utiq; iniri possunt cum hæreticis, at vero numne hæc talia continent causam turpem aut illicitam? quod si autem Minor intelligitur particulariter, concedimus uti hanc ita & conclusionem particulariter, uti debebat, illatam, nam utique quædam pacta hæreticis non sunt servanda, sed non ideò, quia sunt hæretici, sed quia alius defectus in conventionibus reperitur.

III. Quod ad probationem Minoris hujus assertur non tam est probatio, quàm nova quædam & specialior subsumtio sub Majori prosyllogismi: assertur sc. pacta & conventiones, quæ ineuntur cum hæreticis circà religionem v. g. de libero exercitio religionis continere causam turpem: at vero unde probant, esse prohibitum liberum religionis falsæ exercitium? num inde, quia pugnat cum propagatione religionis Christianæ? sed & hoc dubium est, siquidem propagatio religionis Christianæ videtur potius sufflaminari per hoc, quod conscientias volumus compedes injicere, siquidem exinde enascuntur odia plus quàm Vatiniana in veram religionem in animis ita excruciatorum, quæ non permittunt, ut semen verbi divini in eorundem animis possit felicem ferre fructum: deinde etiamsi quibusdam videatur, per prohibitionem liberi exercitii religionis falsæ posse propagari religionem veram, tamen Deus talem modum propagandi suum regnum nos non docuit, sed verbo vult infi-

deles convertere. *vid. Luc. 9. 56. Matth. 13. 29.* ubi Servator non vult eradicari Zizania, ne, dum colliguntur eadem, simul eradicetur triticum, tempore messis enim Christus faciet Zizania colligi in fasciculum ad comburendum eadem, adeoque suo iudicio reservabit: *Christus pulsat fores, non confringit*, inquit eleganter Athanasius ad 3. c. Apoc. v. 20. hinc & David, quàmvis esset infensissimus hostis religionis falsæ, tamen permittebat Philistæis & aliis infidelibus liberum religionis exercitium 2. Sam. 8. addatur exemplum Nebucadnezaris Dan. 3. v. 29. Non malè forsan igitur quis dixerit, permissionem liberi exercitii religionis falsæ esse actum indifferentem; non interim negamus, cæteris paribus, non-permissionem permissioni esse quodammodo præferendam, id quod intendere videtur l. nullus 2. C. de Summâ Trin. nec tamen certo casu hæc planè est illicita. Ad secundum argumentum paucis respondemus negando, Imperatorem dum Husso salvum conductum præbuit, hoc ipso jura Ecclesiasticæ Jurisdictionis violasse, siquidem hæc ut talis non habet jus gladii, *Ecclesia enim solum spiritus gladium vibrat* inquit Lombardus: deinde Pontificii jurisdictionem Ecclesiasticam à Politicâ separant, quum in unâ personâ, in Magistratu nempe Christiano conveniant, siquidem & sua jura habet Majestas circâ sacra, uti patet ex l. decere. 3. C. eod. tit.

Q. 7. *Anne pacta cum reservatione mentali alicujus conditionis non obligent nisi impleta illâ conditione?*

ITa ferè Jesuitæ statuunt, nixi præcipuè hâc ratione: N. Contractus conditionatus obligat nisi impletâ conditione: At vero pactum cum reservatione mentali alicujus conditionis est contractus conditionatus. E. non obligat nisi impletâ conditione. Major patet: conditionis enim ea est natura, ut differat actum & nihil ponat in esse, hinc demum
conditio-

conditione existente contractus est efficax, deficiente vero conditione nihil videtur promissum, adeo ut alicui altera parte invitâ nonnunquam de jure civili pœnitere liceat.

II. Quicquid autem sit, nos putamus posse negari Minorem: Ubiunque enim non consentitur ab utraque parte nec *expressè* & formaliter, nec *interpretativè* & *præsumtivè* in conditionem, ibi non est contractus conditionatus nec *expressus*, nec *tacitus*, utriusq; enim contrahentis consensus requiritur. *supr. pral. §. II.* At ubiunque reservatur in mente istiusmodi conditio, neutro modo consentitur ab utraq; parte in conditionem reservatam, nec *formaliter* nec *interpretativè* E. ibidem non est contractus conditionatus, nec tacitus nec expressus. Minor patet quoad primam partem: inde enim dicitur quis reservare aliquid in mente, eò quòd alteri hoc non manifestavit, nec alter *expressè* in illud consentit: patet etiam quoad alteram partem, distinguendum enim est inter conditionem *reservatam* & *tacitam* sive *subintellectam*; hæc enim quoniam omnibus aut plerisque contractibus solet annecti, aut aliàs indissolubiliter contractum comitatur, per se tanquàm manifesta supponitur, nec proinde necessarium est, ut semper *expressè* addatur, quemadmodum plerisque contractibus inest hæc clausula, Rebus sic stantibus, in hujusmodi enim conditionem semper uterq; contrahens præsumitur consensisse: alia autem est ratio cum conditione *reservatâ*, hæc enim cum non necessariò comitetur contractum, imò interdum pugnet cum eodem, hinc non præsumitur altera pars contrahens eandem *subintellexisse* & consensisse. Imò istiusmodi reservatio non rarò facit contractum dolosum adeoque nullum, nisi enim dolosa istiusmodi conditionis occulatio adfuisset, nunquàm alter ita convenisset cum alio, id quod eventus dolo manifestato docet. v. *suprà qu. 3.* Hinc & dolo hujusmodi decepti
semper

semper adhuc habent exceptionem doli, si alter quærat vi
inici pacti ipsius conditionem facere deteriore, iniquum
enim est ut quis ex dolo suo sentiat lucrum: ipsum autem
utentem reservatione mentali non potest dolus aut reser-
vatio juvare, nec enim leges opitulantur decipientibus sed
deceptis vid. suprâ quæst. 3. §. 4. unde & nos in eundem
actionem habemus, quum jus ex promisso aut contractu fu-
erimus in eundem indepti.

Q. 8. Num subditi pessimè gubernati à malo Principe vi
pacti possint iugum eiusdem excutere?

ITa non pauci statuunt ducti hâc ratione: Contractus
conditionatus solvitur sublatâ impletione conditionis:
Atqui contractus aut quasi contractus, quibus subditi Prin-
cipis imperio se subjiciunt sunt tales, (nam sive expressè
sive tacitè aut præsumtivè se submitunt Principi sub hac
conditione, quatenus est bonus Princeps) E.

II. Sed R. (1) ad Majorem factâ hâc additione; si
illi, qui in solutionem contractus debent consentire, consen-
tiant, tales autem sunt qui ad contractus constitutionem
concurrunt, quemadmodum enim is mutuo consensu con-
trahentium contrahitur, ita etiam mutuo consensu distrahi-
tur, etenim *prout quodque contractum est, ita & solvi debet,*
unumquodque enim eòdem genere vinculorum solvitur, quò colli-
gatum est l. nihil. 30. de R. I. unde *nec licet uni contrahentium*
alterâ parte invitâ pœnitere, acquiritur enim alteri parti per
nostrum consensum *jus, quod eidem invito iterum adimi nequit*
l. id quod nostrum 11. de R. I. & nemo potest consilium
mutare in alterius injuriam, cujus enim non est solo consen-
su contractum inire, ejus etiam non est solo suo dissensu
rumpere, sed omnium consensus requiritur, qui consentire
debebant in solutionem contractus. *vid. suprâ prælim. §. 11.*

III. Jam

III. Jam si hæc limitatio applicetur Conclusioni, conceditur quidem eadē, sed limitatio illa aut nunquam aut raro, certè non ordinariè impletur: quemadmodum enim Deus reges imponit solio, ita & ejusdem consensus ad eorundem depositionem requiritur. Anne autem Deus consentiat in excussionem jugi Tyrannici, petere debemus ex verbo ejusdem: jam verò S. Codex nos docet, omnem Magistratum esse à Deo, & omnem, qui resistit potestati, etiam ordinationi divinæ resistere. Rom. 13. Deus etiam propter peccata populi facit hypocritam regnare. Job. 34. quare subditi etiam esse debemus morosis Dominis. 1. Pet. 2. add. Prov. 24. v, 21. & orare pro iisdem debemus, quum & Christus ipse se injusto Pilati tribunali stiterit, nec voluerit, ut discipuli sui reniterentur injustis Magistratus Judaici ausis. Quum igitur ad depositionem Magistratus consensus Dei requiratur, & vero ille ordinariè non datur, etiam subditi Principis sui quàmvis durū jugum sine periculo peccandi vix possunt excutere. Deinde possumus etiam Minorem in dubium vocare; dubitare enim licet, anne subditi, qui expressè conditionem non addiderunt, præsumantur sub conditione contraxisse, utpote quum, uti antea monuimus, conditio eò quidem casu, videatur frustranea, talis autem in moralibus habetur pro nullâ, adeoq; non potest contractum facere conditionatum. Quid autem de patris Principis & subditorum expressè conditionatis, aut, uti loquuntur, certis capitulationibus quæ sunt vestita, sit statuendum, jam non determinamus.

Q. 9. Quum Rex Galliarum Franciscus I. à Carolo V. Imperatore ad Ticinum praelio victus in carcerem captivus abduceretur, inter alia Regi hæc conditio promittebatur liberatio, ut renunciaret iuri superioritatis, quam habebat in Flandriam & Hennegoviam, quaeritur, num Gallia hoc ipso suo ius in hæc ditiones amiserit?

Ita Hispani sentiunt, Galli contrà negant potissimum nisi duabus rationibus (1) dicunt, hancce promissionem esse in carcere vi & metu diuturnæ captivitatis à Rege extortam, atque sic esse nullam. (2) In alienationibus regniis debere in-

E

terce-

Reminiscit
Regis

recedere consensum Parlamenti, quum vero hic abfuerit, Regem ceu minorennem gaudere privilegio restitutionis in integrum. Hispani ad posterius replicant, remissionem superioritatis propriè non esse alienationem, adeoque nec posse privilegio alienationis gaudere. Ad prius regerunt, quemadmodum non quæcunque vis, sed illa quæ est satis fortis, reddit actum invitum & nullum, ita nec omnem metum, sed illum demum, qui est satis fortis & justus, reddere contractum, aut promissum aliquod, nullum; metum carceris autem, præcipuè talis in quali Rex Gallix detinebatur, nec debuisse nec potuisse animum Regium urgere ad aliquid præter propriam inclinationem faciendum, Regem igitur hoc ipso, dum metu satis forti non fuit perturbatus, præsumi, liberè in hocce suum promissum consensisse, adeoque nec metum hic posse annullare promissa.

II. Posterioris hujus replicationis dijudicatio dependet potissimum ex resolutione quæstionis hujus generalis: *Num pacta aut promissa metu majoris mali inita sint obligatoria?* Per metum non intelligimus quemcunque, sed talem, qui est *justus* & cadit in *constantissimum* ejusdem conditionis hominem, h. e. talem metum, cujus nos causa non sumus, sed qui potius oritur à gravissimo aliquò malo, à quò etiam constantissimus homo aut certè ejusdem ordinis homo abhorret, quod tamen malum, nisi aliud malum minus eligatur, necessariò nobis incumbit. Quæritur igitur *si contingat v. g. ut latro te in viâ correptum sub minitacione certissima mortis adigat, ut tantam pecuniæ summam nebuloni huic promittas, quantam si solvas, necessariò cum totâ tuâ familiâ ad incitas redigaris, anne æquitas exigat, ut promissum pretiû solvas?* Grotius in sæpè citato de Jure B. & P. libro hinc inde hoc ipsum asserit, quum fides debeat esse summè inviolabilis.

III. Verum enim vero non multum forsan peccabimus, si saltem exercitii gratiâ astringere nitamur, istiusmodi promissa nō esse in excellenti gradu obligatoria, sed si obligant promittentē non adeò fortiter & validè obligare: (1) enim N. conventio nullumvé pactum

patum, quod vel planè non vel saltim in remissiori gradu est proæreticum, est in summo aut excellenti gradu obligatorium: Promissio extremarum facultatum metu imminentis mortis latroni facta est conventio vel planè non vel saltim in remissiori gradu proæretica E. non est in summo aut excellenti gradu obligatoria. Major patet, si quidem supposuimus in *preliminaribus* §. 2. *seqq.* contractus esse actus proæreticos, si quidem liber ad eosdem requiritur consensus; deinde supposuimus, *inter contractum & obligationem esse proportionem*, quò sc. quis magis proæreticè agit, eo majori gradu etiam adest contractus, quò majori gradu adest contractus, eò magis etiam contrahens obligatur, quò minori gradu adest contractus, eò minus obligatur; vix igitur fieri potest, ut conventio aliqua, quæ est in *remisso* gradu proæretica & sic etiam in remisso gradu contractus, sit in *summo* aut excellenti gradu obligatoria. Minorem quoad primum membrum non opus est ut probemus, si quidem est hypothesis non paucorum, qui Grotii sententiam tuentur, probamus itaque eam saltim quoad alteram partem h. m. Q. actio dependet à volitione non usq; adeò spontaneâ & liberâ, sed quodammodo voluntati à necessitate injunctâ & illatâ, illa actio est in remisso gradu spontanea adeoque & in remisso gradu proæretica, *omnis enim actio proæretica est spontanea, & libera v. prelim. supra §. 2. add. 3. Nic. c. 1.* Jam vero promissio extremarum facultatum metu imminentis mortis latroni facta dependet à volitione non usque adeò spontaneâ & liberâ, sed quodammodo voluntati à necessitate est injuncta & illata E. talis promissio etiam est, in remisso gradu spontanea adeoque & in remisso gradu proæretica.

IV. Imò ex hypothes. Grot. ferè liceret colligere, istiusmodi promissum simpliciter non esse obligatorium: Q. enim non est verum promissum, illud etiam non potest ut verum promissum promittentem obligare. At verò is actus, quò quis metu mortis fortunas suas pollicetur latroni, non est verum promissum E. Minor probatur ex Grotio: Per quodcunque nullum transfertur jus in promissarium, quod vi promissi habeat in promittentem quoad res promissas, illud non est verum promissum. Atqui per hoc, quod quis metu mortis latroni pollicetur fortunas suas, nullum transfertur in promissarium, latronem sc., jus, quod habeat ille in promittentem quoad res promissas E. ibi non est verum promissum. Major constat ex l. de I. B. & P. 2. c. 14. §. 6. & c. 16. §. 1. Minor autem ex ei. lib. c. 13. §. 14. c. 17. §. 17. hinc juxta l. 3. c. 19. §. 11. it. l. 2. c. 11. §. 7. latro sine novo contractu res extortas non potest jure retinere, nec contra promittentem

tem agere E. nec validum promissum præcesit, promittensque læ-
troni non est obligatus, obligatio siquidem & actio naturalis se invicem
ponunt & tollunt juxta l. 2. c. 16. §. 1. add. supr. præl. §. 4. Metus justus
porro potest juxta Aristot. & Grot. ab actibus omni culpâ non ca-
rentibus tollere obligationem ad pœnam v. prælim. §. 3. quidni igitur
possit tollere obligationem ad præstationem promissorum? Ac-
cedit Prætoris edictum in pr. ff. quod met. caus. asserentis: *Quod
metus causâ gestum erit, ratum non habebit.*

Q. 10. Num is, qui iuramento se obstrinxit suo Magistratui ad perpetuam Religionis
falsæ professionem, & istius promissi adeo rectè obstringatur, ut eidem non
liceat recedere à Religionis falsæ professione?

QVod fides juramenti debeat esse sanctissima, patet ex quæstione
primâ, at patet ex eâ itidem, juramentum utpote accessoriû non
posse invertere naturam sui principalis: jam vero ex præliminarium
§. 13. constat, contractum & promissa verè obligatoria non versari
nisi circa licita, & circa quæ jus habemus, quippe *ad illicita & im-
possibilia nulla est obligatio*: jam autem facilè patet, nullum homi-
num gaudere jure se obligandi ad professionem religionis, quæ eun-
dem in æternam damnationem dat præcipitem, quippe tantam in
nostram animam pretioso Dei sanguine redemptam potestatem ven-
dicare nobis haud audemus, quum & aliàs hocce triste animæ præ-
cipitium impingat in primum cordis nostri stimulum, amorem nem-
pe nostri ipsius, quem providum Numen nostris animis in sevit, quò
adderet fortissima menti nostræ ad honestas actiones calcaria.

II. Nequicquam igitur sibi arrogaverit juramentum robur tantum,
ut possit tam firmis vinculis tamque validis hominis mentem constringere com-
pedibus, ut nulla detur è squalido Religionis falsæ carcere elabendi copia, neque
enim ingens Cœlestis Patris *φιλανθρωπία* juramentum voluit esse triste interitus hu-
mani instrumentum. Nec est quod quis hîc metuat inevitabile in peccata præcipitium,
veretur enim forsitan quis, ne ab utroque latere peccandi necessitate constringatur, quòd
si enim servet suum juramentum, & falsæ religioni non valedicat, utique mortem æter-
nam certò sibi imminere metuat, quòd si juramentum frangat & castra pristina deserat,
ne sic quidem se esse immunem ab omni peccandi periculo, utpote quum omni culpâ
haud careat, Magistratui suo fidem juratò datam frangere. Enimverò non est, quòd
hâc de causa quis sese à sanctis religionis à cœlestij veritate abludentis compedibus
vinciri patiatur, quin fidenti & forti animo dirumpit easdem, & abjectâ durâ servitu-
te in optatam & auream filiorum & hæredum Dei libertatem se vindicat, certus, quòd
rationi rectè conformata non sit inimicum, è duobus malis arripere minus, quòdque
Cœlestis Clementia nãvos illos, si qui hîc sunt mixti, sanguine suo sit deletura. Salm
depreceatur præcipitantiam juramenti apud cœlestem Patrem, & is defectui optatum
peccati venialis induet habitum, neque enim in furore paterna misericordia imbecillia
confringet vasa. Misericordiæ suæ rivulis ut & pectora nostra irriget, fontem omnis
clementiæ supplices veneramur, cui sit laus & gloria in sempiterna Secula.

F I N I S.





ULB Halle
002 100 274


3



WDA







7986.

34

DECAS QVÆSTIONVM 1675, 3
CONCERNENTIVM
CONTRACTVS 4
ET
PROMISSA

Q V A M
DEO OPT. MAX. ADJUVANTE
CONSENSV AMPLISSIMÆ FACUL-
TATIS PHILOSOPHICÆ
IN ILLUSTRIS ACADEMIA IVLIA

PRÆSIDE

M. CASPARO CALVÖRIO
HILDESIENSI

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
IN NOVO PHILOSOPHORVM AVDITORIO
SVBICIET

RESPONDENS

HENRICUS THEODORUS ULRICI

Hagâ-Wolpensis Brunsvicensis.

AD DIEM JULII

••• (o) •••

HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCLXXV.

Handwritten notes:
M. Severin et Gochentz
Hr. Johann Christoph
v. d. R. local. Ad. Pra.